Gnieszkowski Laurentii: Declamatio qua suadetur Bohemis ut serenis. Ferdinandum, armis positis, Regem recognoscant.

DECLAMATIO

QVA

Suadetur Bohemis,

vt

SERENISS. FERDINANDVM,

Armis poſitis, Regem reco-gnoſcant:

A

M. LAVRENTIO SMIESZKOWICZ, in
Concurſu Candidatorum ad Profeſsionem TYLICIANAM conſcripta, & publicè in Acad. Crac. Lectorio DD. Theologorum

HABITA

I. *Die Octobris, Anno Domini* 1619.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Matthiæ Andreouienſis.

I N S I G N I A

V. C.

Ecclesiæ Cathed. Crac.



Sacrorum Reges populus Romanus habebat:
Hoc, an par aliquid, Stemmata vestra volunt?

AMPLISSIMO

Illustrium ac Admodum Reuerendorum D. DD. Prælatorum & Canonicorum Ecclesiæ Cathedr. Crac.

COLLEGIO;

Religionis, Reip. Academiæ, permagno propugnaculo:

Oratoriæ Profess. Candidatus;

Quam TYLICIVS

Episcopus olim Cracou.

Pietate, prudentia, liberalitate, sæculi sui miraculum;

Academiæ Cracouien. suis vnicis Athenis, Heroicâ munificentiâ inseruit:

ΜΕΛΕΤΗΣΙΝ hanc,

Themate per M. D. RECTOREM

D. IACOBVM IANIDLOVIVM
publicè euulgato, intra tempus
præfinitũ, ortu an abortu natã:
tanquam
Eiuſdem Profeſsionis fautoribus, ſuisq́; reuerenter obſeruandis Patronis
Arrhabonem animi ſui,

M. LAVRENTIVS SMIESZKOWIC,
Collegij Minoris Profeſſor,
meritò lubenſq́;
D. D. D.

Declamatio.

CVm ego ſim ita per naturam inſtitutus, vt facilè initio dicendi exalbeſcam, Magnifice Dn̄e RECTOR, &c. &c. cùmq́; ſolito grauiùs, quoties in publicum prodeundum eſt, perturbari ſoleam: tum hoc tempore, ita multa ſunt quæ me commouent, vt non mihi tantum meæ ſpes omnes animi adijciant, quantum iuſta perturbatio detrahit. Moueor inprimis facti huius præſentis inſolentiâ: quod licet ſit artibus perhonorificum, Academiæ neceſſarium, nobis fructuoſum, certamen videlicet ingeniorum de facultate dicendi; tamen ita eſt inuſitatum, vt ante hoc tempus nunquam ſit auditum. Iam ſi materiam, de qua ſermonem inſtituere debeo, inſpiciam; eam non mea voluntate quamuis & obuiam, ſed iuſſu maiorum, ignotam & peregrinam aggredior; quamq́ue argumentis conficere ita eſt perarduum, vt mihi Bohemorum exquiſitè &

à radicibus ipsis consilia nosse, difficillimum est. Bohemos autem ipsos absentes, hîc in vestro conspectu facere præsentes, & non iam in Comædia vnam aliquam in rebus fictis concinnè personã gerere; sed negotium momentis Reipub. ponderosissimum, aliud agendo, quasi reâpse tractare; an hoc minimum & cuiusuis ingenij existimabitis? Equidem cùm in omni vita personam fictam sustinere nequeo, tum illam in his quoq́; ipsis quæ ad exercitium pertinent, eò faciliùs prodo, quò magis illud virorum esse iudico, Orationem propter negotia suscipiendam esse. Accedit illud etiam, vnde ego præsentem intrepidumq́; animum dicentibus conciliari, certissimum experior, tempus videlicet; cuius certè ad præsens negotium, aut vix satis habui, aut in alias necessarias cogitationes dispertitum, non quoad illius vellem, sed quoad possem, in eam rem contuli. Ita ea quæ meæ tenuitati in omnibus rebus suffragari solent potissimùm, tempus ac diligentia, ea inquam in pæsenti cura defuerunt. Nam quò

minus

minùs ingenio possum, eò magis in auxilium diligentiam aduocare soleo de qua tantum decedere debet, quantum de tempore diminutum est. Illud me præterea (quod ingenuè fateor) solicitum non potest non habere, quòd hîc dubiam veluti aleam iaciamus, ter sex an tres tesseras iacturi simus nesciamus; adeo vt hinc mihi aut Regi aut asino, vt est in veteri prouerbio, prodeundum sit. Iamnè sunt omnia quæ meum animum hoc tempore debilitant? Nondum Aud. Acad. imò ista leniora; hoc quod sequitur mihi cogitanti multò molestissimum est. Cogito mecum, reperiri posse non neminem, qui forsitan putet me spe raudusculi pinguioris allectum, & mei mearumq; virium oblitum, ad hanc operosissimam spartam anhelare; nec tam honestate quàm cupiditate quadam voluntatem meam impelli; subuereor ne secum aliquis cogitet. Quod vnum si contra me directum certò existimarem, cederem facilè; neq; mihi vllo modo persuadere possem, vt vel hanc primam velitationem in hoc vestro

conspe-

cōſpectu ampliſſimo ſuſtinerem. Sed mihi reddit animum, atq; me in bonam ſpem erigit veſtrum diuinum ac ſingulare iudicium, viri Academici; qui nec veſtræ prudentiæ putaretis eſſe, temerè cogitationes alicuius in ſuſpicionem rapere; nec æquitatis, eum qui nihil minus quā hoc ipſum cogitat, iſtius criminis inſimulare. Vobis præceptoribus ego didici, ſutorem non profeſſorem eſſe debuiſſe, qui primam lucri curam in oculis habeat; vobis fideiuſſoribus, illud quod experior, credidi; neminem vnquam in Academia, qui pro fide ac diligentia officium feciſſet, eguiſſe, imò pluſquam ad neceſſitatem ſemper habuiſſe; vobis demum datoribus tantum iam & ornamentorum & vtilitatum accepi; vt potiùs, ad illa refundenda quam ad noua recipienda, memoriam & cogitationem conuertere debeam. Quid ergo me aliud ad hanc ambitionem impulit? Nolim hanc ambitionem dici, honeſtiſſimam voluntatem appellari cupio, quam à me fides pietaſq; debita in meam altricem Academiam extorquet; quam an-

tipelar-

tipelargia; vt quod accepi ab ea diſcens, docens illi rependere queam, omnino exprimit; quam demum authoritas maiorum præceptorumq́; meorum, trepidam, & vix non coactam, huc prodire iuſſit. At hîc magno erit opus labore? Ita eſt, veriſſimè hoc dicitur: magnis & vix ferendis opus vigilijs? Nihil in hoc dubitò: Multa & magna in Oratore deſiderari, nec verò in me adeſſe? Iſtud verò non tam probri, quàm neceſſitatis eſſe puto; quin libens multa mihi deeſſe, meipſum etiam teſtor. Sed age, quiſquis es, attende quid mihi præſtò adſit. Adeſt animus, non per ſe modò ad hanc facultatem inflammatus, verumetiam præſidijs non omnino nullis præmunitus: adeſt ætas atq; tempus, Thaletis teſtimonio, prudētiſſimum: adeſt ipſa futura exercitatio, genus diſcendi, Quintiliano teſte, potentiſſimum. Quæ cùm ita ſint, adeſte animis Viri Acad. & me iam ſpe veſtræ beneuolentiæ animatū, ad illud quod mihi eſt viſum difficillimum promptiùs aggredientem, benigni attendite. Quid autem, vbi, & apud quos

agam? Hìc apud vos præſens, in Bohemia contra Bohemos agere me conſtanti animo cogitabo; atq; hos ab armis ad pacem, à diſcidijs ad concordiam vocans, vt Regi Ferdinando, fidem ſemel ſanctè datam, ſeruare in animum inducant, illum pro Domino recognoſcant, ac reuerenter habeant, inteſtino bello ne Patriam afflictam dilacerent; ſuadebo & exhortabor. In qua re dabitis primùm veniam Auditores Ampliſſimi, ſi ego ab huius cauſæ intima cognitione penitus inops, non ea, quæ ſecum hîc aliquis longè ſolidiora cogitare poterit, afferam; ſed quæ à communi dictata rumore percepi, illa nõ tam politica maieſtate, quàm ſcholaſtica quadam conſuetudine, in medium producam. Deinde verò, condonabitis hoc neceſſitati meæ, cùm hac abutar præſentiâ veſtrâ; nec vos iam Polonos, ſed Bohemos, non pacis ſtudioſiſſimos Academicos, ſed belli furore percitos militares viros, imaginabor; atq; hanc nõ domum & officinam literarum, Theologorumq; ſanctiſſimam Stoam, ſed caſtra vel mili-

tare

tare contubernium, animi cogitatione reputabo. Sed iam fingite animis (liberæ ſiquidem ſunt cogitationes veſtræ) me primarium aliquē Bohemum, fideiq́; datæ memorem, indignitate ſummâ commotum, inter Bohemos dicere: cumq́; iam celeri prooemio dicendi neceſſitatē oſtendiſſem, animosq; audientium meos feciſſem; ita me rem ipſam pro eius atrocitate cum affectu ordiri, omnibus in rem erectis, vobiſcū tacitis animis æſtimate.

ATque vt inde oratio mea principium ſumat, vnde hæc omnis cauſa ducitur; bello inteſtino eodemq́; grauiſſimo patriam veſtram ardere videtis ô Bohemi. Parum erat machinationibus non occultis Regem violaſſe; niſi huic iugum excuſſiſſetis? parum iugum excuſſiſſe; niſi periurum in orbem terrarum palàm ſermonibus veſtris diſſeminâſſetis? parum & hoc; niſi ſusq́; deq́; rebus conturbatis, tot cladibus, tamq́; memorandis, exitium vltimum Reipub. miſeræ, lineamq; infortunij ſu-

premam inducere tentâſſetis? atq; (prô dolor) vſq́; dum tentatis. Quid primum querar? aut vnde rem ordiar? aut quod & à quibus auxilium petam? DEI ne potentem illam dexteram implorem? ciuiumnè cordatorum fidem appellem? veſtrámne, veſtram inquam per cœlum terramq́; pietatē in miſeram patriam, obteſter? An adhuc ſempiternā turpitudinis maculam non agnoſcitis? an infame nominis Bohemici dedecus, hoc in facto non oculis contemplamini? an vindicem illam cæleſtemq́; iuſtitiam (niſi reſipiſcatis) non exhorreſcitis? O miſeram veſtram & nùnquam ſatis deplorandam ſortem, ô grauem & non ferendam fortunam. Cùm per ſcelus & ipſiſſimum nefas atrociſſimè delinquitis, leges & inſtituta compellatis; cùm impiiſſimum facinus (dicendum enim quod res eſt) immani audacia perpetratis, religionis velamen obtenditis; cùm deniq; fidem ſemel ſanctè datam cōtra omne ius atq; fas violatis, atq; in voluntarium interitum ſine omni ſpe præcipites ruitis; vos de patria poſteriſq; veſtris mereri quàm cumulatiſſimè, per inſa-

insaniam insanissimam existimatis. Recordamini per Deum immortalem temporis illius, diem illum solemq; reminiscamini; quo Regem Ferdinandum Regiis omnibus virtutibus eminentissimum, liberrima voluntate in Dominum depoposcistis, magnis ac densis acclamationibus in Monarcham vestrum elegistis; fidē sanctè datā, recordamini quomodo verbis conceptis solennibus, solenniter iurauistis. Prô Deum immortalē vbinám gentium sumus? aut quid nobis tandem dignum agimus? aut quid ad extremum ô Bohemi sperare debemus? In media Turcia homines nati, ad hæc medius fidius exhorrescerent; & barbari ponè Caucasum educati, ad vestram hanc ô Bohemi (qua voce vtar nescio) ad vestram hanc inquam ignominiosissimam impietatis turpitudinem contremiscerent. Regem Ferdinandum, Regum optimorum exemplar ac ideam, in Regem vnctum vidimus; coronâ Regni Bohemici caput eius circundatum læti aspeximus; sceptro & virgâ regni huius decorum, tripudiantes admirati su-

mus

mus; in throno & ſolio Reip. noſtræ colloca-
tum, Regem Bohemiæ venerabundi conſaluta-
uimus; colla, eius imperijs reuerenter ſubmiſi-
mus; iure demũ iurando nos omnes, omnesq́;
noſtros aſtrinximus: quid itaq́; nunc agimus?
quid molimur? quid, per veſtras vos animas quæ-
ſo, machinamur? Quæ perfidia eſt (parcite cùm
ſanare volens dico) quæ inquam eſt perfidia, ſi
hæc fides appellabitur? Itàne illa nõ hominum
tantùm quorumuis cum hominibus, ſed hoſti-
um cum hoſtibus firma ſtabilisq; virtus è Bohe-
mia eliminabitur? Siccinè illa, quæ à Turcis ac
Tartaris alienis Regibus religioſiſſimè præſta-
tur, à Bohemis Regi ſuo non ſeruabitur? Sicci-
nè per fidem violatam, omnia iura Dei, homi-
num, atq́; ipſius naturæ violabuntur? Attendi-
te quid dicam ô Bohemi, atq́; in vos altiùs de-
ſcendentes, ſanioris mentis cogitationem ſu-
ſcipite. Iura naturæ, per hoc veſtrum famoſum
& immane factum infringi, leges humanas po-
litiæq; ſancita grauiſſimè labefactari, diuina de-
mum præcepta, per Giganteã impietatem con-
culcari

culcari; ſi non videtis, oſtendam; ſi negabitis, conuincam. Vultis à natura incipiam? Aſpicite, aſpicite clariſſimũ naturæ ſenſum vel in brutis animantibus, & quibus animis in Reges veſtros eſſe debeatis, ab illis exemplum ſumite. Grues vnũ in ſuis volatibus ducẽ, volẽtes libenteſq́; ſequũtur; cerui, elephanti, atq; ipſi, plena ſtuporis animalia, boues, ducẽ ſuũ agnoſcẽtes, eundem priore loco dignantur; apes, tantum abeſt Regem ſuum lædere, verùm, vitam illius à quouis periculo tutari, laterum & corporum ſuorum oppoſitum obiicere, vitã deniq; ipſam pro illo profundere per naturam edoctæ, glorioſiſſimum habent. O rem non ſtuporis vel admirationis plenam, ſed monſtri prodigiiq́; ſimillimam. Quod nobis parens natura, in venas ac viſcera animorũ inſculpſit, hoc nec vna mentis cogitatione recordari volumus: cuius in brutis; & intelligentiâ vacuis feris, clariſſima documẽta defixit; huius nos homines nati; rationis & orationis cõpotes facti, altiſſimam obliuionem in ſenſibus, actibùſq́, noſtris circũferi-

ferimus. Sed missũ interim naturæ sensum faciamus; ita tamen vt meminerimus, hoc nos sine graui contra naturã peccato cogitare, nullo modo posse. Descendamus hinc iam in theatrum Politicorũ, sensum prudentiæ ciuilis reconditiorẽ perscrutemur, genium Rerũpublicarũ consulamus. Videor mihi nũc videre, imó & audire præsentem, Regem olim Lacedæmoniorum, prudentiâ, consilio, rebusq́; altissima præuisione trutinatis cõmemorabilem Theopompum. Quid iste? Spartam quidam magnis encomiis in cælum vsq́; ferebat, atq́; hoc agens istam felicitatem fortunatissimã non nisi á Regibus benè imperantibus, Spartam habere, constanter aiebat. Quid creditis Theopõpum ad hæc respõdisse? assensum præbuisse forsan putatis? Imò inquit, non hoc. Quid ergo? Spartã seruari (attẽdite Bohemi, Theopòmpus in rem vestram loquitur) Spartam, inquit, florentem seruari credatis, non quia Reges benè imperare nôrint, sed quia ciues Regibus obtẽperare probè didicerint. O vocem per Theatra

omnium

um imperiorum ingeminandam, ô dictum per omnes Bohemiæ afflictiſſimæ angulos vel hoc tempore, magna vociferatione perſonandum. Dicam, dicam enim quod res eſt ô Bohemi. Cũ in hoc veſtro præcipitis ac propè extremæ audaciæ facto, à ſcelere ſolui poteritis; ab errore certè grauiſſimo nũquam eſſe liberi vllo modo valebitis. Quid? An hoc quod vos agitis expediiſſet aggredi, non dico iam cõtra Regem, quẽ habetis clementiſſimum, veſtri boni ſitientiſſimum, omnibus æquiſſimum: ſed contra Tyrannum aliquem, impotẽtiâ, libidine, rapinis, alijſq; ſceleribus commaculatiſſimũ? Dabis veniam Ferdinande Rex omnibus ampliſſimis & Rege dignis virtutibus ornatiſſime, ſi te non cũ tui ſimilibus, quod debeo, cõparo; ſed vt oſtẽdam, quàm tecũ pro tua bonitate, non eſt actũ optimè; Si te inquam Tyranno alicui (à quo per omnẽ naturam tuam abes longè lõgiſſimè) ad punctũ temporis, ficta cogitatione mẽtis, æquiparo. Itaq; cogitate vobiſcũ in animo, quod in re nunquam extitit, quodq; ſemper procul

 abſit.

absit. Fuisset sanè Rex, non is qui est, omnibus numeris & gradibus optimus, sed quiuis alius Tyranno simillimus, vitiisq́; regnū demolientibus notatissimus; an hoc vobis facere, ad quod hoc tempore grauiter ingemiscimus, collibuisset? annon eum, quisquis ille fatis ita volētibus fuerit, perferre potius; quàm ita vsque suprema imis confundere, è re vestra, è re patriæ, posterorumq́; vestrorū fuisset? Viueres, viueres nunc magne Marcelle, è cuius ore similis oraculo vox illa prodijt: Bonos principes voto expetendos, qualescunq́; tolerandos esse. Viueres & tu ô Cerialis, altissimâ rerum Politicarum perspiciētiâ clarissime, qui Treuiris olim consulebas; vt imbres & cætera naturæ mala; sic luxum, auaritiam, & quæuis alia vitia dominantium, perferenda esse. Viueres tu quoq́; Claudi Romanorum Imperator, vel ob hoc solum laudatissime, qui legatis Parthorum suadebas; Ferenda Regū ingenia, neque vnquam vsui esse Regum mutationes. Viueretis & vos lumina Historicorum fulgētissima; Xenophon suauissime, Liui grauissime,

ſime, ſubtiliſſime Tacite, Valeri prudentiſſime; qui vnanimi conſenſu, donandas tales iniurias vel ipſi Patriæ, nec in viſceribus Regni, ob has excitanda bellorū incēdia, obnixè ſuadetis; qui, nunquam per diſcordias, nomen libertatis ſpecioſæ, iure prætexi, cōſtanter affirmatis; qui Regum mutationes nunquam in melius eſſe, non minus veriſſimè quam prudentiſſimè, omnibus regnis ac imperiis denunciatis. Exempla ſi quis deſiderat, næ ille dicentis potiùs vocem frangere, quàm ſi hæc non dico omnia; ſed magna ex parte commemorentur, audire velit. Quid enim obiter hîc reuocem antiquiſſimos Macedonas, qui cùm Philippum & Alexandrum viuos odiſſent, atque tot ac tā plurimis modis regno exuere cupiiſſent; à crudelibus poſtmodū Tyrānis agitati, ad memoriam illorū perpetuò ſuſpirabant, atq; vel ſolam illorum ſimilitudinem, aut adumbratam imaginem in ſequentibus grauiſſimè deſiderabant. Quid memorem Romanos, olim orbis terrarum Dominos, qui per vim quàm plurimis ſpecioſo nomine Liber-

tatis eiectis, aut extinctis; propemodum semper in peius prolabebantur. Quis demum singulos è Lacedęmonijs, Atheniensibus, cæterisq́; omnium gentium, nouis antiquis, cultis barbaris, Christianis Ethnicis imperiis, percensendo, enumerare valeat? Vnum illum quæso, reliquis omnibus posthabitis, Phrygem fossorē attendite, quid agat, expendite. Post mortem Antigoni sæui, crudelis, inexorabilis Principis, agellum suum profundiùs multò quam vnquam consueuerat, fodere cæpit. Hoc admiratus eius vicinus cùm accurrisset, & cur id faceret, rogauisset; ille respondit: Antigonum se quærere. Curnam obsecro? Non quòd (ait) Rex bonus fuisset. Cur itaq; si non ob hoc? Sed quòd, inquit, in omni vita sua, deteriores semp̱ prioribus, Principes succedere planè meminisset. Mandate hoc altis animis sensibusq; vestris ô Bohemi, atq́; quid agatis, ad hanc trutinam, perdiligenter examinate. Quis enim laudatissimorum etiam Principum vnquam fuit aut esse potuit, qui virtutibus altis eminens, vi-

tiorum nō arcesseretur? Accusabatur Cęsar non ferendæ ambitionis, Alexander temulentiæ arguebatur; Pyrrhus præcipitis consilii, Hannibal dubiæ fidei, Fabius tardi certaminis, Marcellus affectatæ pugnæ, Seuerus crudelitatis barbaricæ; insimulabantur, astringebantur, condemnabantur. Attamen omnes hos, non tātùm antiquitas inter celebratissimos Principes habuit & venerata est: verumetiam posteritas, inter optandorū Principum Archetypos, omnium sæculorum consensu, inseruit. Quid si iam non pleraq; dico Principum vitia, sed nescio quæ non alia; non naturæ vel Politiæ sensu, at literarum sacrarum iudicio, legumq́; diuinarum præscripto, ferenda esse demonstrauero? quid ad hæc dicetis, quid vobiscum cogitabitis? Nec verò vmbrarum similibus argumentis me rem istam elusurum existimate, imò viuis sacrorum voluminum, atq; (vt aiunt) sole meridiano clarioribus documentis demonstrantem, benignè, vt cæpistis, attēdite. Quæso ego vos, annō Saules Israelis olim Rex, vero Deo suo,

cultuq; illius verendo derelicto; fædam idolorum culturam exercuit? annon Tyrannicè, omnia per vim, nihil per leges, in homines hominumq́; bona statuens, sacerdotes Domini contrucidari iussit? annon eorũ ciuitatem, omnesq; ciuitatis incolas cruentissima strage deleri, ac extirpari mandauit? Attamen hunc Dauid Rex, suum Deiq; sui inimicissimum hostem, in potestate habens, integrum seruauit; & cùm occidere potuisset, non hoc tantum facinus aggredi sustinuit. Causam desideratis? Vt omnes discerent (verba sunt Doctoris in Ecclesia maximi, Sancti Ambrosij) vt omnes inquit discerent, fidem Regi proprio seruare, nec vsurpare imperium sed vereri. Imò quid sit factum expenditote. Miles qui Saulem interfecerat, annon Dauidis decreto capite multatus fuerat? annon ad illa Dauidis verba (posteaquam se occisorem Saulis confessus fuisset) cohorruerat? Sanguis tuus super caput tuum. Quæ causa est obsecro, tãti tamq; terribilis, verborũ, decretiq́; tonitrui? Os enim inquit tuum locutum est aduersum te

dicens;

dicens: Ego interfeci vnctum Domini. Tam graue tamq; horrendum est, vnctum Domini violare; & licet ille foret impiissimus, huic tamen vim aliquam inferre, graue ac horrendum est. Quis enim (vt alios præter Saulem commemorem) Ioâ Rege fuit aut improbior, aut crudelior? Attamen huius occisores, quòd vncto Domini vim intulissent, fœdissimè iugulati sunt. Quis Rege Salomone petulantior? quis Roboamo flagitiosior? Attamen hos in magna veneratione habitos regnasse; nec eorum vitia grandiora apud Dei populum Principesq; Iudæ, illis obfuisse, probè meministis. Quod si hæc nimis vetera putatis; præstò adest Christi, salutis humanæ vindicis regula, quæ Christianorum nationem, non tantùm iustis ac piè imperitantibus, promptè iubet obsequi; verumetiam, vt quantumuis improbos & crudeles, patiẽter ac sensu Christiano perferat, omnino indicit. Adest viua vox Diui Petri, Apostolorum Principis, qui verbis disertissimis in sua prima Epistola dilectis in Christo mandat, vt cum timore

more ſint ſubditi ſuis Dominis; non ſolùm bonis & iuſtè dominantibus, ſed nequam etiam, & perperam ac omnia pro libidine agentibus. Adeſt illa tot Sanctorum Patrum in Concilio Conſtantienſi œcumenico, anathematis fulmine communita ſententia; per fidem, per legem inſtitutumq; Chriſti, nec in ipſos Tyrannos, quicquam tale vnquam licere. Quæ vox veritatis poteſt eſſe clarior? quę tot exemplis, tamq́; lucentibus per ſe argumentis, cogitari poteſt manifeſtior? Sed quo tandem fine, de inſtitutis naturæ ac Politiæ, tam multa in medium adduximus? quo conſilio Chriſtianas etiam ſanctiones in teſtimonium appellauimus? Eo fine Bohemi, vt omnes intelligatis, hoc quod nunc agitis, tantum abeſt in Ferdinandum Regem, Regem optimum & omnibus modis laudatiſsimum; ſed nec in quemuis alium, licet ſceleribus quibusque contaminatiſsimus fuiſſet; vobis per veſtram prudentiam, per fas diuinum humanũque, vllo modo licuiſſe: eo conſilio, vt reſipiſcentiam ociùs maturantes, palàm oculis

videatis,

videatis, vos grauiſſimum humanæ opinionis errorem cõmiſiſſe. Dolens & cum lachrymis hæc apud vos dico ô Bohemi, atque me hac vnica ſpe, veſtrâ videlicet reſipiſcentiâ, conſolari ſoleo. Quæ niſi citiùs affulſerit; quæ metuenda quidem ſint, imò quæ fati extremi mala horribilia nobis omnibus noſtriſq; immineant, planè ſentio: quid verò vnquam boni ſperandum niſi armis depoſitis, genibus Regiis aduoluti culpam fateamini, pœnam deprecemini quid inquam ſit boni, nobis omnibus vllo tempore ſperandũ, hoc ſi nõ affuerit; nihil inuenio.

Sed quoniam parum prudentis eſſet, cogitationes alicuius euertere, niſi cauſam inſpicias; agè nunc videamus, ex quo fonte opinionis ma lum iſtud promanàrit, & quàm immertiſſimas pœnas fama Regis optimi luat; paucis expendamus. Quid enim aſſertis? ſcilicet FERDINANDVM Regem inclytum pactis non ſtetiſſe; iuſq; iurandum, quo ſe aſtrinxerat, fidem non ſeruando rupiſſe. Magnum hoc eſt, quod obijcitur mihi credite; ſed tamen ita magnum, vt cùm

 apud

apud omnes eius naturæ conſcios, tũ apud me ipſum omnino ſit incredibile. Quis enim crederet? Equidem omnes Regiæ virtutes in illo Regio pectore ſedem ſuam defixerunt; at fides, dictorumq́; & conuentorum conſtantia, tantò cæteris omnibus, altioribus fixa in eo manet radicibus; quantò hæc inter cætum ampliſſimarum virtutum, eminentior & auguſtior eſt. Inferte oculos in eius vitam & mores, facta eius excutite, publica cum priuatis diligenter vt ſoletis examinate; qua fide non dico cum amicis, cum domeſticis, cum ſibi chariſſimis ſubditis; ſed cum hoſtibus etiam agat, conſiderate: volentes nolentes in aliam ſententiam concedere debebitis. Doleo ego Bohemi Clariſſimi, grauem iniuriam nomini ampliſſimo Regis optimi hac inſimulatione afferri, & cùm partum iſtius inſimulationis infelicem aſpicio; magis ac magis doleo, dolereq́; debeo. Nam ſi nos, qui ab iſtiuſmodi dignitate quàm longiſſimè abſumus tanti fidem æſtimamus; vt quiduis pati potiùs, quam huius iacturã non dubitemus; quid profecto

fectò de Regibus existimabitis? quid illis amplum, quid excelsum, quid magnificum, hac vna virtute debilitatâ, relinquetis? Cùm verò etiam tot ac tã grandia mala, supremiq; exitij Reipub: præuia, ex hac falsissima fidei diminutæ opinione, per Bohemiam vniuersam grassari aspicio; quibus verbis, aut execrationibus, amentißimam illam opinionem deprecari debeo? Sed ne forsan æstu dictionis aliò quàm res postulat abripi videar; vnde fui digressus illuc redeo; atq; Ferdinandum Regem, Regiis omnibus virtutibus eminentißimum, cùm in omni vita sua omnibus fidem suam sanctißimè seruasse, tum erga vestrum inclytum regnum eandem intaminatam coluisse, constantißimè asseuero; atq; in hoc mentem eius consciam, quam omnium habet charißimam testor, semperq; testabor. At religionem nostram à sua diuersam, contra fidem datam, quoquo modo poterat, Rex Ferdinandus violabat? Hoc tandem illud à vobis dici audio, quod caput & principium omnis mali præsentis esse existimo. Rex ergo Ferdi-

 nandus

nandus Religionem veſtram violabat? Non facilè crediderim; quì enim poterat? At facilè Regi potuiſſe, cùm voluerit? Quid ſi id nunquam in animum induxerat? Quid ſi id ſi cogitârat, non ex propria, at ex aliena voluntate, cogitare potuerat? Non hoc nihili æſtimate quod à me dicitur Bohemi prudentiſsimi. Neq; enim tantùm Reges multa diſsimulare debent, vt eſt in veteri dicto: verum etiam multos in multis audire, nonnunquam coguntur. Verùm eſto; voluerit ſanè rex; concedamus etiam vt aliqua parte religionem veſtram imminuerit: an inde culpâ tenebitur? Quis obſecro tam rudis tamq; rerum omnium ignarus eſt, qui non intelligat, videat, & planè ſentiat hominum voluntates, & conſilia, non res & facta in crimen ac iudiciũ vocari debere? Optauit Rex prudentiſsimus irreligioſam religionem veſtram à vobis propulſari: quia veſtris animis exitium ſupremũ, æternosq; carceres hanc importaturã vt modò non dubitat ita nunquã dubitauit. Quid ergo vultis amplius? Itane ſiniſtrè voluntatem hanc eius

piiſsi-

piissimam rapietis? Itáne hunc paternum affectum studiumq́; de vestra salute quàm optimè merēdi, profanè ac hostiliter interpretabimini? O Regum ac Principum conditionem miserrimam. Pro amore in suos paterno, hostile odiū pro interno affectu, ardentiq; studio, contemptū ferunt atq; repudium. Vtinā Rex Ferdinande Bohemos odisses, (dicam, dicam enim in te Bohemia impiè, quod pro tuo Rege dicendū est piissimè) vtinam illos odisses, vtinam illis hanc felicitatem, quam optabas, nūquam optauisses. Proscripserat istiusmodi animorum humanorum pestes è Bohemia, sanctissimæ recordationis LADISLAVS Rex: Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus item eiusdem ordinis; celebratissimi nominis Imperatores, publicis edictis, è Repub. eiecerant; patriâ, regno extorres fecerant. Tu Ferdinande Rex, naturâ tuâ, non cuiusuis merito clementissimus, tolerasti; tempore labes istas pestiferas aboleri posse putasti; omnibus modis alijs viuam benignitatem spirantibus, hoc quod Princeps optimus opta-

re ſubditis debuerat (vt ſancta religione animi ciuium imbuerentur) optaſti; & quantum in te ſitum erat, magno ſtudio, ſed amoris pleno, euigilaſti. Non tuæ cogitationes cruentæ fuerunt; non hoc, vt ciues eijcerentur, non, vt bona illorum Reipub. addicerentur, vnquam voluerunt; ſed, vt per omnem tranquillitatem pietas cum religione auitâ, inter tuos effloreſceret; vt ciuium tuorũ animis quàm optimè cõſultum eſſet; in hoc tuæ curæ vigiliæq́; beneuolentiſſimæ laborauerunt. Iamne videtis omnem culpam Regis veſtri ô Bohemi; iamne illum in eo ſolo peccaſſe, quòd vos, veſtrorumq́; animorum ſalutem, plus merito veſtro adamârit, animaduertitis? Verum conſideremus vlteriora. Si hoc agens Rex Ferdinandus, Regnum ſuum ad quietem ac tranquillitatem componere ſatagebat; atq; ita cladium miſerabilium inde in Bohemia ſæpe pullulantium, occaſiones præcidebat: annon hoc demum erit, quod eum non tantùm iure meritiſsimo apud vos excuſare, ſed etiam peruehementer commendare debet? Quam-

obrem

obrem ſi hic Rex Ferdinandus, hic modò in quam in veſtrûm medio conſiſteret; annon palàm & glorioſè clamare poſſet? En ego Ferdinandus ille, qui veſtris religionibus obſiſto: verum eſt; quia veſtris animis exitioſiſsimas fore, certiſsimum habeo. En ego ille, qui iſtas incrementum facere non cupio: verum eſt; quia ex his Erynnes pronaſci, & bellorum ciuilium latiſsimè regnum depopulantium incendia oriri, multorum ſæculorum exprimentis, diſco. Teſtis eſt mihi annus poſt 1400. nonus; quantas quamq́; inauditas Huſſus, Tartareus ille filius, per vniuerſam Bohemiam turbas conciuerat. Teſtis poſtmodum annus vigeſimus, quo ita miſerabiliter propter hæreſes Bohemia ſuis emota ſedibus fuerat, vt ſempiternæ memoriæ VLADISLAVS IAGELLO, Poloniarum Rex, eam ſuis regnis adnumerare, propter tumultus perpetuos, nullo modo vellet. Teſtis dein annus poſt commemoratos 58. quo propter Viclefum & Huſſum portenta illa inferni, amplius quadraginta millibus agreſtes congregati, Ma-

giſtratus

giſtratus Pragæ nouæ occiſi; omnia conturbata, peruerſa, labefactata fuerant. Teſtes aderunt illi ipſi Zyſcæ, Coribulti, alijq́ue ſimilis farinæ Gigantuli, Hæreticorum Duces, Reipub. exitioſiſsimi: qui tantum detrimenti in hoc regnum, hæreſum peſtem propagantes intulerant; quantum nec ego dicendo exponere, nec vos audiendo comprehendere valeatis. Teſtes iam, ipſos Reges, qui ante me clauum huius imperij tenuerũt, appello: quos, & quam periculoſos motus, Regi Venceſlao Caroli 4. filio, hæreſes teterrimæ pepererint; quas furias, temporibus Ferdinandi, ab ipſis credo inferis exciuerint; quomodo Rudolphum ſecundum, quàmq́; miſerabiliter violârint, vexârint, afflixerint; quomodo (vt nuperrimè ſcelus commiſſum, paulùm retrò aſpiciam) Regiam perſonam in eius vicarijs tractauerint: hæc & permulta ſimilia, non tantùm vobis memoranda, verumetiam diligentiùs, cum ſua atrocitate cogitanda relinquo. Teſtes verò adextremum omnes gentes Chriſtũ profeſſæ, omneſq́;

populi

populi, atq; adeò vltimæ Indorum oræ, in quas etiam ipsas, ex hæresibus horribiles turbæ, è turbis conflictus, ex his publica exitia immigrauerunt. Ergo id me factitantem cùm recordamini; non odium aliquod, sed immensum meum in vos amorem cogitate: non meam libidinem aliquam, sed in vestram Remp. incredibilem pietatem, à me hoc facto proficisci, ratum ac indubitatum habete. Hæc ad vos ita si Ferdinandus ageret; annon in vobis commiserationem suæ fortunæ cum lachrymis eliceret? annon istâ suâ tam insigni erga vos pietate, vestram erga se impietatem his verbis grauissimè exprobraret? Quanquam nihil est opus figmentis, res loquitur ipsa, quæ per se valet plurimùm: atq; Austriacam domum, domum in terris cælo proximam, nunquam tantam indignitatem suis meritis apud vos commeruisse, clamat ac vociferatur. Quis enim hoc per Deum non videt? quis ad istius recordationem non ingemiscit? Hòsne fructus laborum sudorumq; suorum, hancnè à vobis grati memo-

 risq;

riſq́; animi ſignificationem, auguſtiſsima domus habet Auſtriaca? Illa, illa domus, ex Regibus orta, per Reges propagata, in Reges & Reginas orbis terrarū diſſeminata: Illa Domus, Imperatorum S. Romani Imperij plantarium, ſobolis Regiæ per vniuerſam Europam Seminariū, virtutum celſiſsimarum lectiſsimum viuarium: Illa deniq; domus Bohemiæ ſemper addictiſsima, commodorum & ornamentorum eius ſitientiſsima, pro illa in mortis etiam pericula ruere, ſemper paratiſsima. Iamnè vobis ex animo & memoria veſtra exciderūt illi Rudolphi Manſueti, Alberti Inclijti, Ladiſlai Dilecti? Iamnè penitus ex omni recordatione veſtra effluxerunt Alberti illi Secundi Turcis terribiles, Ferdinandi & Maximiliani, aliiq; innumeri, omnibus gentibus ob geſtorum magnitudinem admirabiles? Iamnè quos proximè mors è medio ſuſtulit; iamnè & hos cogitationes veſtræ, obliuione lethæa, ſepeliuerunt? At per Deum vtiq́; meminiſſe debetis, hos omnes Reges veſtros fuiſſe, nulla vnquā pericula pro veſtra, veſtræq́;

patriæ ſalute detrectauiſſe; in hoſtes medios mortemq́; perſpicuam, pro veſtrorum maiorum liberis, coniugibus, totaq; Repub. ſeſe intrepidos toties intuliſſe. Siccinè horum venerandam poſteritatem, eandemq; ipſam de vobis effusè meritam condecoratis? Siccinè merita meritis non ingratiſsimi rependitis? Egregiam verò veſtram laudem, egregium decus ô Bohemi; qui ita vſq; Reges veſtros, veſtros nutritores, ex Regibus veſtris natos honore dignamini; vſq; ita illis de vobis meritis gratiam refertis atq; habetis. Quantò iuſtiores olim non ex populo Chriſtianorum, ſed ex gentibus Paganorum antiquiſsimi Perſæ, qui teſte Iſocrate ad miraculum vſq; ſuos Reges, propter eorum id vnum beneficium, quod præeſſent, venerabantur. Quantò æquiores Græci; qui Reges Lacedæmoniorum, Reges inquam ſuorum hoſtium; non vbiuis, ſed in pugna etiam; nō tantùm manus à vi contra illos abſtinendo; verùm etiam retrocedendo, propter ſolam huius nominis maieſtatem, reuerebantur. Iam nunc ô

 Magne

magne Regum magiſter Xenophon credam, quod prædicebas; iam ex omnibus animalibus hominem in ſuum Rectorem eſſe ingratiſſimũ ſciam, quod olim tu demonſtrabas. Agnoſcunt elephãti ſuos curatores; oues, imò cerui, demũ Plinij teſtimonio ſues ipſæ, vocẽ adminiſtrorũ ſuorum ſequũtur; canes etiã pro ſuis Dominis (vt notum eſt) moriuntur: ſolus homo ita durus ac ferreus eſt, vt cui maximè gratum eſſe conueniat, iſte omnium ingratiſſimus reperiatur. Sed iam te quoq; mea ſpectat oratio vbicunq; locorũ es, Ferdinande Rex inclyte, tuas cogitationes cogitat, atq; vt hæ ingratis tuis Bohemis innoteſcant, ſatagit. Certum inprimis habeo te iſtum tuum, imò Reipub. Bohemæ infelicem caſum ita tecum æſtimare, vt quod tibi à tuis contigit, ſoli ingratiſſimæ patriæ, meritò adſcribas. Habes exempla non huius æui corruptiſſimi; at veteris illius memoriæ, vt eſt opinio, laudatiſſimæ, quæ te id palam perdocent. Habes apud Romanos Scipionem Africanum, alterum Aſiaticum, tertium poſteriorem Africanum;

canum; aliosq́; non paucos, Deus bone, quantos, quamq́; meritiſſimos Patriæ Patres. Habes apud Carthaginenſes, horum imperij vindicem Hannibalem; apud Lacedæmonios (Deumnè an hominem Apollo neſciit) Lycurgum; Habes apud Athenienſes Theſea, Solonem, Miltiadem, Ariſtidem, Themiſtoclem, Phocionem: viros, ſi Deos aſpicias, Sanctiſſimos; ſi vitam illorum inter homines, inculpatiſſimos; ſi Remp. omnibus modis de illa meritiſſimos. Hæc tu tecum inprimis Ferdinande Rex optime cogitas: hæc ab ingratiſſima patria tot tantiſq́; viris iniecta vulnera, temetipſũ aſpiciẽs, recordaris. Iam inde ſtatim (quæ tua natura clementiſſima eſt) excuſationes Bohemorum tuorum vndiq́; confingis; errorem aliquorum non omnium inſaniam appellas; non tam peruicacem quorundam temeritatem, quàm fatalem quandam neceſſitatem, ad tempus duraturam, & in melius abituram interpretaris. Te adhæc amniſtiam omnium, quæ perpetrata ſunt cogitare, te benefaciendo, auerſos ciuium animos non pæ-

nas meditando, velle conuertere; tibi rem cum tuis ſubditis, non cum hoſtibus eſſe, paſſim linguâ, nutu, literis, ſignificas; atq; vt in omni tranquillitate beati ac florentes ciues tui viuant, hoc agis, hoc ſolicitè cogitas, hoc vnicum noctes dieſq́; meditaris. Quid agitis tandem ô Bohemi? quod numen vobis, veſtrarumq́; opinionum erroribus magis vnquam ſalutare exoptatis? Rex omnium iniuriarum ſuarum obliuiſcitur; totum id quod fuit, humanitus accidiſſe fatetur; quicquid in poſterum requiratis, id ſe accuraturum pollicetur; ſuum tandem Regiæ clementiæ ſinum pandens, velut pater ille prodigum filium, cum oſculo præſtolatur. Quid itaq; moras nectitis? quid tergiuerſamini? Cauete per Deum immortalem, ne ſuperbum & vobis exitioſum ſit, eius vos clementiam tantam repudiare; quâ repudiatâ Deum ipſum in vos inclemẽtiſſimum perſenſuri ſitis. Quod ſi vos nondum tam inaudita Regis clementiſſimi bonitas mouet; moueat ipſa afflictiſſima tot iam per vos tempeſtatibus ac procellis iactata,

ac penè conquaſſata patria; moueat ſanguis effuſus tot inſontiſſimorum ex plebe hominũ; moueant gemitus & lamenta egentiſſimorum ciuium; moueat deniq; ceruicibus noſtræ patriæ, iam iam extremum impendens exitium. Quæ vt non à me affingi exiſtimetis, ſed in re maiora, quàm per me dicuntur, intueamini; patriam ipſam loquentem, quò magis credatis, attendite: En hæc ad vos ita loquitur. Bohemorũ natio clariſſima fætus meus mea propago; quo tandem ſpiritu vertiginis agitaris, in quod extremum infortunium clademq́ue ſupremam, tuâmet voluntate præcipitaris? Religionem auitam, pro qua veſtri maiores mortem certiſſimam oppetere nunquam dubitauerunt; vos illam è Regno proſcribitis: ad cuius olim propagationem, tertiâ regni parte, certatim eius dignitatem promouentes, ceſſerunt; vos iſtam omnibus deſpoliatis: quam demum tot iuribus ac priuilegiis munitiſſimam poſteris, velut inſequenti lampada, tradiderunt; vosnè iſtam vſq; adeò raptatis? itane tot portentoſarum hæ-

resum monstris, tamq; inter se dissitis ac pugnantibus, obruitis? itane bellorum furias, tumultusq; nefarios, per omnem cum indignitate atrocitatem, contra illam concitatis? Ah me miseram quid patior, ah infelicem quantam malorum molem perfero? Bellum, bellum intra viscera mea sentio; Bohemos contra Bohemos in acie stare vidēs horreo; omnes regionis infelicis angulos, furore militū cōpletos, felicitatem eius profligatam aspectans; ah quantum præ dolore tabesco. Iam silent leges, artes conticescunt, virtutes labascunt: non pietatem in templis, non iustitiam in prætoriis, non pacis refugium in domibus priuatis inuenias: omnia vndiq; perturbata, prostrata, magna sui parte pessundata iacent. Vt feræ in syluis, vt pisces in aquis, vt per aërem volucres vitam agunt; ita nunc meis Bohemis vita viuitur: tenuis à potente impunè opprimitur, optimus à sceleratissimo per omnem vim affligitur; insontissimus à nocentissimo in pænas, in carceres, in eculeum trahitur. Quid cùm reliqua memoro, heu

meam

meam grauem & acerbam fortunam, quàm crudeliter enecor? Hinc gemitus pauperum oppreſſorum in cælum vſq; tolluntur, illinc iam terribile claſſicum canitur; hinc fame ciuium emorientium greges conſpiciuntur, illinc armatæ cohortes diris cõtra ſe cuſpidibus committuntur; hinc demum ciuitates expilatæ, villæ direptæ, priuatorum domus bonis exſpoliatæ miſerabiliter in os oculosq́; ingrediuntur; illinc eheu tot millium iacent occiſorum per campos cadauera; nobiles cum plebeiis, viri cum ſenibus, tot contrucidati; tot iuuenum florentiſſimorum acerui, per agros patentes, in victimam veſtræ inſaniæ mactati conduplicantur. Quò me vertam? quid faciam? quod in tantis lamentorum occaſionibus, aut vnde, ſolatium aut conſilium capiam? Vos vos ego, mei Bohemi, ſanguis meus appello; vos per veſtram ſalutem, per aras & focos, per & quicquid chariſſimum & ſanctiſſimum habetis, flens & lachrymans obteſtor: arma deponatis, Regi veſtro vos dedatis, per fidem & concordiam

F nomen

nomen veſtrum, ad immortalitatem propagetis. Hoc niſi iam facitis; actum eſt de illo nobiliſſimo Bohemorum imperio, actum de illa pulcherrima totius Europæ Prouincia. Iam hinc Polonorum gens bellicoſiſsima, illinc Hiſpanorum animoſiſsima, iam Roma potentiſsima ſuis me viribus circumdabunt; iam in veſtram perfidiam ruentes, Regis optimi ius regium, ſanctumq; fas violatum, bellis cruentis vindicabunt; heu quis ſcit, annon me peſſundabunt? Quid cùm illum orbis terrarum archipiratam, Prouinciarum florentiſsimarum per has occaſiones verſutiſsimum aucupem, regnorum ac imperiorum formidoloſiſsimum ereptorem Turcam recordor? heu quam iſta cogitatione trucidor? Circumiacentes tot regiones, quæ gemunt iugo eius oppreſſæ, aſpicitis; quomodo eas inſederit, per quas occaſiones in ſuam nefariam ditionem redegerit; memoriâ tenetis. Quapropter agite per Deum immortalem, atq; ſi meum cadauer oculis videre non cupitis, ſaniores in animum cogita-

tiones

tiones inducite. Agite inquam, atq; ad pedes Regis veſtri prouoluti, veniam precibus & lachrymis precati, exitium ſupremũ à me meâq; vita (per veſtram vos in me pietatem ſi quæ vſquam eſt obteſtor) propulſate. Hæc ad vos ita veſtra patria cùm loquitur; mihi etiam lachrymas elicit; atq; me plura dicere volentem, ob dolorem iuſtiſsimum, quem in medullis animi mei concepi, longiorem eſſe non permittit. Quamobrem finem facio, atq; tot rebus vociferantibus, ampliùs taceo.

Nunc Te Deus Opt. *Max.* vniuerſi terrarum orbis Oeconome Cœleſtis atq́; ſupreme, imperiorum omnium Rector ac adminiſtrator præſentiſſime, Regum Rex, atq́; illorum fautor, protector, & præmonſtrator ſupra quàm cæterorum hominum intime: Te nunc per quem Reges regnant, in Regis & regni cauſa iudicem & (niſi reſipiſcant) vindicem appello, atq; obteſtor. Videt omnia videns oculus tuus, quantis Bohemia, quamq́; extremis infortuniis cõcutiatur; videt nihil non librans in ſua ſtatera,

iuſtitia tua; quid Bohemorum audacia portentoſa moliatur. Iuſiurandum in tuo nomine ſanctè præſtitum, fidemq́; datam fœdiſſimè perfregerunt; patriam ſuam, bello per ſummũ nefas excitato, cruore ciuium imbuerunt; auos, abauos, atauoſq́; regis optimi de ſuis maioribus meritiſsimos, in illius perſona, grauiſsimè, per ſummam impietatem, vulnerauerunt; Rempublicam, Religionem, omnia iura, humana diuina, ſacra profana, priuata publica profanauerunt, violauerunt, conculcauerunt. Hæc tu cùm diuiniſsimo æquitatis tuæ ſenſu per omnia diffuſo perſentiſcis, iam flagellum iræ tuæ, iam virgas ferreas, in contumacem populum diſtringis. Sed tamen recordaberis ô Domine miſericordiæ tuæ. Si remittunt de crimine: Tu à pæna manum retrahis; quia id pollicitus es. ſi dolent: dimittis; quia miſericordiſsimus es. ſi meritis penſant offenſionem: fælicitatem omnia vberiùs quàm erant inſtaurantem, beatoſq́; dies donantem cælitus emittis; quia natura tua, vniuerſa bonitas eſt. Quod ſi tam

duræ ceruicis Bohemia fuerit, vt in hæc ipſa non otiùs inclinet, quæ natura monet, ius perſuadet, regula præceptorum tuorum extorquet: quid reſtat aliud, niſi vt fidei per ſcelus atrox violatæ, necis tot ciuium ſanguinisq; profuſi, Regis ignominioſiſsimè habiti, tui nominis Sacroſancti per Giganteam inſaniam contempti, pænas extremas Bohemi perpetiantur: atq; (niſi ad ſe citiùs redierint) grandibus æternisq; pænis, viui mortuiq; mactentur.

duræ ceruicis Bohemia fuerit, vt in hæc ipſa non otiùs inclinet, quæ natura monet, ius perſuadet, regula præceptorum tuorum extorquet: quid reſtat aliud, niſi vt fidei per ſcelus atrox violatæ, necis tot ciuium ſanguinisq; profuſi, Regis ignominioſiſſimè habiti, tui nominis Sacroſan cti per Giganteam inſaniam contempti, pœnas extremas Bohemi perpetiantur: atq;
(niſi ad ſe citiùs redierint) grandibus
æternisq; pœnis, viui mortuiq;
maſcentur.